



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Q. 4. An excusandus sit Beneficatus ab onere restituendi ob omissas  
culpabiliter Horas Canonicas, qui largam in pauperes distribuit  
Eleemosynam, nil tamen cogitans de sua obligatione, nec expressè ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

lis impossibilitas, sicut in aliis, ita & hinc excusat.

Cæterum in hac quæstione præstat pro praxi sectari tutiorem, & rigidiorem opinionem ob incommoda, quæ inde sequerentur; nam quamvis universim moralis impossibilitas excuset ab obligatione persolvendi penum Canonicum, attamen facilitas deobligandi, & in eo dispensandi propter occurrentia negotia esset nimis periculosa, & noxia Statui Clericali, hoc ipso enim, quod multæ personæ etiam Ecclesiasticæ perpetuò occupentur variis, iisque quandoque non levibus negotiis, si facile liceret in quotidiano hoc penso dispensare, & ob occurrentes occupationes Breviarium intermittere, brevi contingeret, ut apud multos Breviarium quotidie percurrendum perpetuò vacaret, & per successivam desuetudinem facilitas hæc præscriberet contra quotidianam obligationem recitandi Divinum hoc Officium.

Unde sedulo cavendum est, ne illud propter quotidiana negotia negligatur; nec difficile erit, tempus aliquod vacandi Deo inveniri ab iis, quibus cordi est Dei honor, & negotium salutis propriæ, sicut non obstantibus etiam gravibus negotiis facile invenitur tempus vires reficiendi, corpus abundè curandi, imò & fovendi, ut dictum est alibi.

R. P. Leonardelli Soc. Jesu.

Ad 4. Q. R. cum Lug. d. 4. n. 294  
46. Laym. l. 3. tr. 2. c. 12. n. 9.  
Diana 3. p. tr. 6. R. 57. & p.  
7. tr. 10. R. 24. Suarez, Sanch.  
aliisque affirmativè, siquidem Beneficiatus post omissionem Divini Officii Eleemosynam distribuat correspondentem fructibus aliàs restituendis; negativè verò, si ante omissionem pauperibus Eleemosynam elargatur. Ratio prioris partis est, quia si Eleemosyna detur post Horarum omissionem ponitur re ipsa opus debitum, & in poenam à lege Ecclesiastica præceptum: ergo satisfit præcepto; intentio enim satisfaciendi præcepto Ecclesiastico non exigitur ab Ecclesia, ut alibi insinuat, & etiamsi requireretur, adesset tamen hinc virtualis, ut notant citt. DD. quia implicita, & virtualis, intentio omnium dantium Eleemosynam est, velle per illam, quantum possunt, satisfacere omnibus obligationibus, quas per sua peccata, & negligentias contraxerunt, adeoque etiam obligationi restituendi inductæ per legem Ecclesiasticam, quæ aliàs benignè explicari debet: Unde non obest, etsi cum aliis multis sentias, obligationem hanc debitam esse ex justitia, hoc ipso quòd dans Eleemosynam virtualiter intendat, etiam huic, quam habet, obligationi satisfacere.

Ratio posterioris partis est, quia per bona opera satisfacere quidem  
S s postum-



possuntque pro peccatis, & negligentis jam præteritis, non item pro futuris. Unde ab Alexand. VII. proscrip̄ta fuit hæc sequens propositio n. 33. Restitutio fructuum

ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque Eleemosynas; quas antea Beneficiarius ex fructibus sui Beneficii fecerit.

## CASUS LI.

*De Canonico Horas canonicas recitante, & à Choro frequenter absente.*

**M**Aurinus Canonicus frequenter abest à choro, non solum, cum malè habet, sed etiam, cum benè valet; Cum verò præfens adest, aliis in Choro Psallentibus ipse profana legit, aut confabulatur cum proximo suo socio, vel si orat, versiculos suos submissa voce recitat, aliis Suam partem canentibus.

*QUÆR. I. An Canonicus, qui submissa voce in Choro recitat suos versiculos, aliis suam partem canentibus, percipere nihilominus possit distributiones?*

*QUÆR. II. Quid sentiendum sit de illo Canonico, qui, aliis in Choro Psallentibus, profana legit, aut confabulatur cum suo socio?*

*QUÆR. III. An peccet mortaliter Canonicus, qui, dum residet in loco sui Beneficii, frequenter abest à Choro?*

*QUÆR. IV. An Canonicus, qui ob corporis gravem infirmitatem Choro assistere nequit, lucrari nihilominus possit distributiones non solum proprias, sed etiam distributiones aliorum absentium?*

295

**A**D I. Q. R. cum Suarez tom. 2. de Relig. l. 4. c. 12. Less. l. 2. c. 3. dub. 23. Petr. Navarr. Bonac. Filliuc. Roderique, & aliis, non posse talem Canonicum, saltem ex integro, percipere distributiones. Ratio est. Primò, quia talis Canonici-